

Alte Drucke

**DE CAVSA COLO=||niensi Commentatio. || IN QVA
OSTENDI=||TVR CATHOLICOS IN GER=||MANIA ORDINES
MAXIME OBLIGA-||gatos esse, vt potius Gebhardi ...**

Gebhard <Köln, Erzbischof>

[S.l.], [16. Jh.]

ALTERA PARS DE INCOMMODIS QVAE IN GERMANIAM REDVNDABVNT, nisi
occurratur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150914

ALTERA PARS DE IN-
COMMODIS QVAE IN GER-
MANIAM REDVNDABVNT,

nisi occurratur.



STENDI, QUANDO PONTIFICES SIMULATIONE Catholicae Religionis de Regni sui potentia laborant, Catholicos Electores, Episcopos, Principes & ceteros ordines rectissime facere, si illius cupiditati non solum non obtemperent, sed etiam omnibus modis obsistat: deinde exposui, quam in hac Coloniensi causa manifestum atque perspicuum sit, non de sacris, sed suo Imperio Pontificem laborare: cum bellum cuiquam religionis causa facere, & omnium nationum & populorum iudicijs, & Catholicorum sacrorum decretis, & Germanorum legibus, imprimis aduersetur: In quibus singulis non religionis ardor, sed Imperij cupiditas maximè appareat: & quia de iuramento, de voto castitatis, & matrimonio nonnulla contra afferri solent: de his quoque ea dixi, ex quibus facile intelligi possit, quam non rectè harum rerum gratia Archiepiscopus coarguatur: & quam iniuste nonnulli Capitulares Pontificis impulsu magistratui suo rebellent: cum neque Pontifex postquam lex de religione promulgata est, ius vltimum in Germania amplius habeat: neque Imperator vim fieri velit: neque de ipsa causa pronuntiauerit: neque absque ceterorum ordinum consensu quicquam determinare potuerit: quæ omnia ad æquitatem causæ pertinent.

Reliquum est, ut de incommodis videamus, quæ ex his Pontificijs actionibus in amantissimam patriam redundabunt: nisi Catholici vnà cum Evangelicis à Coloniensi Archiepiscopo crudelissimos Romani Pontificis impetus propulsent.

Quid verò id est, imperij Principem, & quidem Electorem armis de possessione expellere? qui hoc se posse ostendit, an non profitetur se Imperatorem esse: cum hoc sibi arroget, in quo Imperatoris & amplissimi Senatus maiestas potissimum cernitur? quid turpius, quid scdus, quid insolētius vnquam auditum fuit, quam externum hominem, hominem sacerdotem, & talem sacerdotem, qui iure diuino & humano Imperatori & amplissimo Imperij Senatui subiectus

COMMENTATIO.

subiectus est, tantos sibi spiritus sumere, vt ab huius corpore præcipuum membrum auellendum esse existimet? Quis vnquam audiuit, aut vidit, aut legendis veterum monumentis cognouit, vllam Remp. extitisse, quæ tantam immanitatem æquis animis tolerauerit? an adhuc sani sumus in Germania: qui, quantum in ea re vitij insit, nondum perspiciamus? Quis verò deinceps impediet, ne iisdem machinis, quibus Archiepiscopum modo lacepsit, ipsum Imperatorem aliquando aggrediatur? Equidem tanta similitudo est, vt ne quidem lac lacti similis esse possit. Nam vt Archiepiscopatus dignitatem à se ortam esse dicit: ita maiestatem Imperij à se ad Germanos translata esse affirmat: & vt sibi acceptum ferri vult, quòd collegium ius Electionis habeat: ita principum Electorum ius à se constitutum esse gloriatur. Sed quid de hac cognatione loquor, cum notum sit, quid olim acciderit? Quare si his principiis nemo obstat: me herculè nostros Imperatores eadem libertate excipiet, atq; nunc Archiepiscopum tractat: Maximè si erit eius generis seculum, vt boni & religiosi Electores Pontificis fulmina metuant. Equidem confido DEVM magis propitium Germaniæ fore, quàm vt animos nostros tanta caligine offundi sinat, vt iterum Pontifici, ad tantam dementiam aditus pateat: tamen in tempore prouidendum est, ne minus cauti in tãtas calamitates denuò nostra sponte prolabamur. Nam qui Archiepiscopum vno Pontificis nuncio, & vna literarum significatione depellendum, & alium constituendum esse putat, ad tam crudelem tyrannidem viam munit. Non enim planè ignotum est, quomodo Pontificis iura acquirantur. Quod semel obtinuit, id semper fieri oportere statuit: & quod in vno succedit, hoc ad omnes pertinet. Conscedente eo mulum, fortè frenum aliquis Imperator declarandæ obseruantix causa tenuit: Illud in Codicem cæremoniarum relatum est: Omnes Imperatores frenum teneant necesse est. Alius stapedam apprehendit: in Codicem relatum est. Postulatur ab omnibus Imperatoribus, vt Pontifice descendente, stapedam apprehendât. Alius oblongam togæ caudam, cum sacris interesset, manu subleuauit: iterum in Codicem relatū est: omnes Imperatores caudam Pontificum subleuent oportet. Neque tantum de freno & cauda agitur: omnia sibi iura Pontifex his artibus peperit: Imperatorem conculcauit pedibus: ius se habere putat, vt omnes Imperatores pedibus conculcet: filium cõtra patrem armauit, vt vtrunq; opprimeret: omnes Imperatores & imperatorum filios

se eodem

DE CAUSA COLONIENSI

se eodem modo tractare posse existimat. Huiusmodi nonnulla in atrio, quod Romæ sacello pontificis contiguum est, affabrè depicta sunt, ne istarum tupissimarum actionum memoriam vlla vnquam deleret obliuio. Et hæc satis indicant, quò Pontifices tendant, si nò in tempore illorum intolerabiles libidines comprimantur.

Quare si Pontifex vi Archiepiscopum expulerit, duobus modis Imperatoris maiestatem violat. Primùm quòd id sibi arrogat, quod solum in Imperatoris, & amplissimi Senatus potestate situm est: deinde quòd sibi ius constituit, quo etiam aduersus Imperatorem vtatur. Sed & Electoribus, & Principibus omnibus istius crudelissimæ seruitutis periculum imminet. Etsi enim Catholici Romana sacra colant: tamen facilè eos aliarum rerum causa possessio- nibus eiiceret. Neque verò Euangelici Imperatores & Principes existimare poterunt, hæc nihil ad se pertinere, etiamsi numero Ecclesiasticorum non recenseantur. Etenim si æquo animo ferrent Pontificem sensim lentis, & tacitis gradibus irrepere, vt tantum virium recolligeret, quantum ad eos lacessendos satis esse putaret, illorum posteri ipsa re sentirent, cuiusmodi similitudinem omnium Principum status, cù Coloniensi causa haberet. Proh DEVM immor- talem, quàm speciosa, quàm splendida in medium adduceret: quàm præclarè de aurea bulla differeret, & de Catholicis & Romanis sacris, quibus tanquam fundamento omnes Electoratus, & principatus vniuersæ Germaniæ niterentur. Quid non Imperatori manda- ret? quid non regibus? quid non omnibus Catholicis Archiepisco- pis, Episcopis & Principibus, vt istos hæreticos tanquam pestiferos totius Christianæ Reipublicæ hostes radicitus exterminaret? Quid de cæteris ordinibus loquar? ad Comites, & Barones, ad equites, ad ciues istarum rerum calamitas permaneret. Nam Catholicorum fili- j, qui ad Ecclesiasticum vitæ genus animum adiungerent, in istas plagas omnes inciderent, qui verò Euangelici existerent, eodem cri- mine, quo reliqui condemnarentur.

Non mihi præclara exempla deessent, quæ paucis his annis cõ- tingerunt, quibus vberimè ostenderem, quantum sibi iuris in Ger- mania Pontifex vsurpet: sed quia etiam alia nonnulla implicata sunt, quorum non libenter mentionem facio, ista reticenda erunt. Illud constat Catholicis Episcopis. Non igitur hæc tam ad eos, quibus ista euenerunt, quàm ad totius Germaniæ amplitudinem, otium, & quietem, ad omnium ordinum & Catholicorum & Euangelicorum incolumita-

incolumitatem, & salutem, & vniuscuiusque familiam, domum, coniugem, liberos, omnesque fortunas pertinet. Quid enim tandem aliud futurum est, nisi vt manibus & pedibus colligati, & Romam abstracti acerbissimis cruciatibus dilanemur. Nam hoc quoque factum esse, inficias ire non possumus: quæ omnia propter certas causas non refero, sed relinquo tacitis cogitationibus illorum, qui hæc explorata habent: cæteri verò coniecturam facient ex ijs, quæ modò diximus, quid nobis expectandum sit, maximè si etiam peiora, & crudeliora restent, quæ non commemoramus.

Neque spes est, si iterum in casses redigamur, mitiorem nobis pontificem fore, quàm olim fuit. Imò tantò durior erit, quantò maioribus & arctioribus vinculis opus esse iudicabit, ne iterum in causam libertatis ingrediamur: & vt vehementius laborant, qui postquam morbo liberati videbantur, denuò in eum cadunt: ita nos qui acerbissimæ seruitutis iugum depulsum esse credebamus, vbi sub illud pedetentim reducemur, longè maiorem, quàm vnquam antea miseriarum atque calamitatum molem sustinebimus. Idcirco nonnunquam conturbor animo, quoties video plerosque adeò securos esse, vt nihil horum metuendum esse putent: hi iudicium ex eo faciunt, quòd non amplius tam diuersa per Germaniam indulgentiarum vectigalia exerceantur: quam abstinentiam perpetuam fore sibi persuadent: nec animaduertunt id fieri non aliter, atque si quis vno anno agros non colat, vt in sequentibus annis fructus tantò vberiores & cumulatioris ferant. Equidem quod nos modò non soluimus, id posterius duplo pendent, nisi caueamus.

Neque verò Pontificem tantoperè reprehendo, quòd his artibus vtatur, cùm res tam benè succedat. Ego, si Pontifex essem, & non ita magnis sumptibus imperium possem constituere, eandem occasionem vrgerem, præsertim si gentem adeò piam & religiosam depræhenderem: quæ se circumueniri & ludibrio haberi æquo animo pateretur: imò quæ tantò maiore me honore afficeret, quantò grauioribus eam oneribus in officio continerem.

Principio nos principum vxores mulceremus, qua re nihil potest esse fructuosius. Sunt enim natura religiosæ: & si accedat socius aliquis Iesu, tanquam magister pietatis atque mansuetudinis, facile in quamcunque sententiam adducerentur: his mitteremus nonnunquam dona, sed huiusmodi, quæ nõ magno constarent, vt agnos Dei, & rosaria: quibus pro dignitate cuiusque certas indulgentias

DE CAUSA COLONIENSI

adiungeremus, earumque vim atque potestatem imprimis commendaremus, ut nostra munera rebus etiam charissimis atque praestantissimis anteponerent. Deinde horum opera anniteremur, ut omnium Principum Catholicorum supremos aulicos cognoscere-mus, qui nobis fauerent, qui aduersarentur, ut hos in odium adduceremus, illorum erga nos obseruantiam indies magis confirmare-mus. Præterea ipsos Principes nonnunquam pecunia subleuare-mus, sed parcè: ne fons benignitatis exhauriretur: & frustulati-m, ne quicquam ex ea re commodi perciperent, & tamen certis interual-lis aliquid accipiendo, expectatione maioris subsidij in officio per-manerent. Ita quicquid nobis placeret, absque vlla difficultate exe-queremur: vel per aulicos proceres: vel per illustrissimas nostras fi-lias Principum coniuges: vel per ipsos Principes, cum sua sponte in nostram causam propenderent: & hos quidem afluere faceremus, ut in omnibus rebus à nobis consilium peterent. Nihil sanè rebus no-stris aptius foret. Nam ea præscriberemus, quæ nobis haud incom-moda acciderent, & hæreticis extirpandis prouinciarum admini-strationem ad nostrum arbitrium reuocaremus. Præterea mittere-mus, qui omnibus Comitibus imperij deliberationibus, & actioni-bus se miscerent, & quicquid arcani esset, ad nos perscriberent: ut si quid conduceret, citius perfici curaremus: si quid obesset in tempo-re impediremus: ne quid, quod illorum rebus maximè accommo-datum esset, determinarent.

Principio apostolicæ sedis statum maximè affligerunt literarum studia: cum è Græcia in Italiam commigrarent homines variarum artium disciplinis exculsi, qui Itolorum animos ad prisca sapientiæ, & elegantis doctrinæ cupiditatem inflammarent, quod malum etiam in ipsam Germaniam permanuit. Antea in Academijs & Gym-nasijs vivebant huiusmodi Philosophi & Theologi, qui omnem Phi-losophiæ & Theologiæ scientiam in minutissimos articulos, & qua-si atomos quosdam Democraticos comminuerunt, & quamuis Ari-stotelem nunquam seriò inspexissent: tamen ijs, ex subtilium magi-strorum commentarijs, tot textus, tot quæstiones, tot problemata, tot veritates, tot maximæ, tot distinctiones, conclusiones, corolla-ria suppetebant, ut nunquam deesset, quo suorum auditorum aures indies circumsonarent: Eandem rationem in Theologia explanan-da sequebantur. hæc studia Romanæ Curie accommodatissima erant. Nihil enim magis sedis Apostolicæ amplitudinem conseruat, quam
densa

COMMENTATIO. 81

denſa caligine obducta Sophiſtice, morū & virtutum & ciuiliū re-
rum ignoratio: veterum exemplorum, omnisq; antiquitatis obli-
uio: contrā autem ſolidæ Philoſophiæ & veritatis inueſtigatio, & ho-
neſtatis, & politiæ doctrinæ ſcientia, & veterum annalium, & mo-
numentorum cognitio maximè aduerſantur. Et hoc eò magis, ſi &
oratores, & poetæ acceſſerint, qui his omnibus lumē quoddam in-
ferant.

Etenim his artibus Germani exculți inſtrumenta ſibi compa-
rarunt, quibus pontificio regnō vaſtatem molirentur. Nam vbi
cœperunt repetere memoriā priſcorum temporum, & iſtius mo-
narchiæ initia, & progreſſus, totamq; formā animo contempla-
ri: nihil tam firmum, nihil tam munitum fuit, quod non ſuis machi-
nis expugnandum eſſe ducerent. Hæc itaque è medio tolleremus,
vt noſtri Imperij ſua uitate rectius perfrueremur. Ne verò conſilium
animaduerti poſſet, hæreſeos extinguendæ cauſſa iſta fieri promul-
garemus, & noſtris Ieſu ſocijs omnium Academiarum adminiſtra-
tionem, ius atque arbitrium committeremus: ſic, dum literarum
interitus animo deſtinatus eſſet, literas nos Apoſtolica benignita-
te fouere ſibi uulguſ perſuaderet.

Nam huiuſmodi artificio vtendum eſſet, vt aliquid præclare
conficeretur. Etenim Ieſuitæ in ſuum gregem pellicerent, quot
quot excellenti ingenio præditi eſſent iuuenes: eosq; à veris ſapien-
tiæ ſtudijs ad quæſtionum ſuarū articulos & culicum paſſus, ad ma-
terialitates & idenditates, & actus & potentialitates, fundamentali-
tates, quidditates, entitates, realitates, rationabilitates, & Angeli-
cas, ſeraphicas, & ſubtiles formalitates traducerent, reliquos verò
literatos homines ad arbitrium ſuum vocarent: cū nemo philo-
ſophiæ ſcientia eruditus videri poſſet, vel ad honores emergere, cui
non ſocij noſtri, doctrinæ, atq; Romanæ pietatis teſtimonium præ-
buiſſent. Ita dum hi gratia atque autoritate victi tacerent, & illi ara-
nearum telas conſiderarent, nihil planè detrimenti à ſtudijs proſi-
ciſceretur: & nos paulatim artes nobis infeſtas è medio tolleremus.
Ad hanc rem per Germaniam Gymnaſia conſtitueremus, quæ no-
bis duplicem fructum afferrent. Nam & Germani à teneris huiuſ-
modi opinionibus imbuerentur, quæ ad regni noſtri dignitatem
in primis pertinerent: & ſimul efficeremus, vt tantò magis crederēt,
nos benè erga illos animatos eſſe, qui eorum ſtudijs tam liberaliter
ſumptus ſuppeditaremus. Non enim parum eſt in fruſtu oſum, ſi

DE CAUSA COLONIENSI

nos istius nationis amantissimos atque studiosissimos esse simula-
remus: cum facilius homines amicitia nomine in casses pellicean-
tur. Sunt autem hoc tempore multi in Iesuitarum societate, qui
optimarum literarum disciplinis animum non mediocriter exco-
luerunt, neque tamen omnes istius ordinis præceptis eam doctri-
nam assecuti sunt: verum ab illis initio tincti, postea delectati otio,
se ad illos aggregarunt: quorum auctoritate, etiam ceteri licet adeo
periti non sint, vulgo tamen amplissimæ scientiæ famam atque opi-
nionem, de se concitarunt: & horum nonnulli ita grauitur incedunt,
atque cælum humeris suis sustentarent: quæ licet partim, vt iniqua
tacite agnoscere mus, partim vt inepta in sinu rideremus: tamen
quia nobis valde conducere, Apostolicæ nostræ auctoritatis ro-
bur libenter ijs impartiremur. Nam qui excellunt, eorum modò
opera contra hæreticos vteremur: alij in Gymnasijs docerent: alij
libros cuderent: alij ad reges & Principes accederent, vt fœdera con-
ciliarent: quemadmodum facit Possseuinus, cuius opera Gregorius
XIII. Regem Suediæ ad obedientiam sedis Apostolicæ studuit re-
ducere: cuius opera inter Poloniæ Regem & Magnum Moscouiæ
Ducem pacem firmavit: cuius opera etiam alia molitus est, & indi-
es adhuc nonnulla molitur, quorum optimum euētum fore sperat:
de quibus tamen omnibus, ego aliud quiddam spero. Huius itaque
Possseuini studium, consilium & solertiam nobis quoque in grauio-
rum rerum tractatione applicaremus: alij ad id apti forent, vt se in
omnes artas insinuarent: reliquæ multitudinis officium esset, vt ad
omnia altaria sacrificia peragerent, & vt in eorum sinum fœmina
sua arcana depromerent: & vt templa ceremonijs complerent: & di-
uorum simulachra, eleganti habitu vestirent: & maxime beatam vir-
ginem tanquam Romanam, vel Venetam, vel Neapolitanam Auli-
cam exornarēt: comœdias agerent: muliereularū vel vertigine, vel
stultitia, vel insania, vel malitia correptarū demones & furias ejice-
rent: miracula ederent: peregrinarentur, Principum actiones spe-
cularentur: noua consilia meditarentur. Qui ad ista idonei non es-
sent, ijs Patres alia committerent, quæ rebus illorum domesticis uti-
litatem afferrent. Hac itaque ratione conaremur Platonica atque
Aristotelica sapientiæ vsum verum rursus occultare, Ethicarum vir-
tutum & politicæ disciplinæ studia restringere: historiarum & anti-
quitatis memoriam delere: eloquentiæ vires, imperio nostro infe-
stissimas,

COMMENTATIO.

infestissimas infringere, veterum Poëtarum cantus rodentes: sæpè verò molliculas aures delinientes comprimere.

Dehinc in eo nostra pastoralis cura euigilaret, vt pedetentim libri veteres, quotquot nostro tempore in lucem excitati sunt, rursus abolerentur. Maximè verò placeret ius ciuile antiquari, & illius loco ius nostrum Canonicum statui: ea tamen conditione, vt singuli in omnibus cōtrouersijs nostram declarationem expectarent. Porro lectione Bibliorum omnes prohiberemus, exceptis paucis, qui nostris vtilitatibus, spe præmiorum adducti, libenter inseruirēt: qui decreto non starent, sacrificijs interdiceremus. Quid enim magis aduersari posset rebus nostris, quàm si & vulgus sacerdotum, & populus monumenta Apostolorum inspiceret, & Christi præcepta cum nostris præceptis atque institutis compararet: magnos ex eo tumultus exoriri necesse esset. Non enim omnes intelligunt, non capiunt mysteria, non ad sensum tropologicum, analogicum, & allegoricum attendunt, neque vident modò longè esse alia tempora, quàm olim fuerunt, cùm Apostoli ista scriberent: & tamè inepti homines Pontificem in ordinem redigere volunt, & præsentem rerum statum Apostolorum doctrina metiri: quod cùm minimè conueniat, rectissimè omnes à meditatione librorum sacrorum arceremus: & sanè pulcherrimum foret, Bibliorum Codicem nusquam nisi Rome extare: vt eò tanquam ad oraculum vel ad libros Sybillinos confugerent omnes prouinciæ, quoties de religione controuersia exoritur. Quod ipsum nostri successores præclarè efficerent, modò his vestigijs deinceps insisterent: de quorum tamen egregia voluntate nimenè dubitarem. Artem verò typographicam, quæ has calamitates inprimis auxit, vndique profligaremus, & in hoc incumberemus vt concionis habendæ potestate omnes priuarentur. Etenim is ad seditionem populum inflammari constat: si quando tribuni plebis existunt, qui ista facultate abutuntur, vt nonnullis in locis experti sumus: neque tamen statim hanc rem aggredieremur.

Nam hoc tempore id fieri non potest, quo necesse foret, vt nostra conciones aduersariorum concionibus opponeremus. Ideo Iesuras & cæteros hortaremur, vt in istis ciuitatibus, vbi etiam aduersarij degunt, omnia sua ita temperarent, vt vulgus eadem, quæ ab Euangelicis proferri solent, ab ipsis quoque dici arbitraretur: nec attingerent illa, quæ planè tanquam impia & falsa repudiarent: sed ijs insisterent, quæ aliquo modo vtriusque partis communia essent:

DE CAUSA COLONIENSI

reliqua post arbuſta interim laterent. Nam de Dei prouidentia, de ſingulari illius erga genus humanū beneficētia, de libertate mentis noſtræ, quæ nulla ſit niſi Deus eam excitet, & ſuo ſpiritu accendat: de Chriſti ſanguine & merito: & gratia, à quibus omnia proficiſcantur: de fide, quòd charitatis, & omnium noſtrorum laudabiliū operum atque actionum fundamentum & principium & radix ſit: de iuſtitia noſtra, quæ in ſolo Chriſto poſita eſt, & ab eo ſolo manat: tam noſtri poſſent verba facere, quàm aduerſarij: quæ ſi oratione illuſtrarentur, populus tandem non intelligeret, qua in re diſcreparent: cū hi non minus Euangelicam doctrinam in medium afferrent, atque ij, qui ſe ſolos, iſta profiteri gloriarentur. Hinc adeò multi iniuriam nobis fieri ſtatuereſt, & tantò citius ad gremium matris Eccleſiæ reuerterentur. Denique vniuerſam religionem ad cæremōnias, & externos ritus, ad ſimulachrorū cultum, ad roſarij globulos, ad ſacras peregrinationes, ad votiuaſ tabellaa, ad indulgentiaſ, ad reliquiaſ lactiſ Mariæ, ad braccam Joſephi, & penem Aſini reuocaremuſ, vt ijs animi impliciti, concioneſ minimè deſiderarent. Vt autem hæc planè ſuccederent, Catholicorum regum & Principū concordiam tam diu ſtabileremuſ, donec iſta hæreticorū peſtiſ ex-terminata eſſet: deinde ruruſ illoſ inter ſe concitari expeteremuſ.

Et quia Rēx Daniæ Germanici ſanguiniſ eſt, & ſacri Germanici Imperij Princepſ, cuiuſ animi magnitudinem, regiam magnificentiā, conſtantiā, fidem, & cum grauitate ſociatā admirabilē humanitatem inprimiſ celebrāt: qui multorum annorū grauiffimuſ belluſ iuueniſ admodum fortiter geſſit: & in eo ipſo multa diſcit, quorum ſcientia illi in alijs bellis maximo uſui eſſe poſſet: & quo credibile eſt eum cogitare, quæ tanto Rege digna ſint, vt patriæ ſuæ Germaniæ præſidio ſit: omnibuſ modis annitenduſ eſſet vt huic quoque impedimenta quædam obijcerentur, quo commodiuſ hoc ipſuſ quod animo deſtinatuſ haberemuſ, conficeretur.

Quod verò ad Regem Sueciæ, maximis virtutibuſ excellentiſſimuſ attinet: licet eum Poſſeuinuſ adducere non potuerit, vt ſe in gremium Romanæ Eccleſiæ reciperet: tamen oportunuſ nobiſ eſſet illiuſ amicitiam retinere: vt etiam tanti regni opes aliquo modo noſtriſ vtilitatibuſ inferuirent. Atque ex ipſa Moſcouia auxilia accerſeremuſ, vbi reſ ita poſtulare videretur. Nec enim in ea ſarum præſidij collocaremuſ, quando quidem homineſ barbari, & noſtra- rum artiū imperiti, libenter nobiſ gratificarētur, qui in pace concilianda noſtram autoritatem cognouiſſent. quod

COMMENTATIO.

Quod si iam Venetam Remp. si cæteros Italiæ Principes cum his coniungeremus: si Catholicis principibus in Germania persuaderemus, habere illos, quo nitantur, modo forti, & constanti animo hæreticos illos, qui se Evangelicos vocant, inuaderent: an non illi vndique à Catholicis regibus, atque Principibus, quasi obsidione cincti facile opprimerentur? Cui instituto maximè conducere, quòd hoc tempore Evangelici in duas partes distracti sunt. Hortamur enim nostros Catholicos Principes, vt vnã partem sibi adiungerent, quò commodius alteram opprimerent: ea verò oppressa, rursus in illam, cum qua se prius coniunxissent, impetum facerët. Ita omnes Evangelicos radicitus extirpari necesse esset: cùm præsertim illorum præcones hoc tempore inter se tam strenuè digladiantur: vt, si stipendijs eos còductos haberemus, nauare nobis operam melius non possent. Qui dum omnia sursum atque deorsum mouerent, aquis turbatis tanto vberiore piscationem institueremus. Quò etiam maiores animorum distractiones exorirentur, neq; Catholici & Evangelici paulatim consuetudine deuincti, animis coalescerent: Kalendarium nostrum promulgaremus: ita rursus noua odia accenderentur, & nostrarum partium ordines magis sedulò officium facerent. Si verò Evangelici in hac re Catholicis assentirentur, primùm còstaret penes quem esset summa potestas Christianæ Reipub. si non ab Imperatore, sed à nobis tanquam à capite ista promanassent: deinde etiam ad alia paulatim obtinenda viam munitam haberemus, cùm Germani nondum videantur animaduertere, quantus cumulus etiam minimarum rerum accessione fiat. Nam etiam si singula tanti momenti non esse quis existimet, vt ob id multum laboris capi debeat: tamen coniuncta quantam vim habeant, nostri regni exemplo possemus declarare, quod ex humili loco ad tantam magnitudinem hac vna ratione peruenit. Neque enim acquiesceremus in Calendario, ac si id ciuile quiddam esset, in quo Magistratui rectissimè obtemperetur: sed huiusmodi ciuilia multa proponeremus: denique etiam sacrorum nostrorum omnes caeremonias, & vniuersum pontificatum his innixum tanquam rem ciuilem, inculcaremus.

Et quia non parum in iudicio Cameræ situm est, omnibus modis laboraremus, vt ibi quoque res nostræ magis stabilirentur. Sed in alijs negotijs alia excogitanda essent: In hac verò Colonienfi causa primùm ostēderemus Imperatori, quantū non modo Catholicæ religio-

DE CAUSA COLONIENSI

religionis, verum etiam Austriacæ familiæ interesset, ne Evangelicorum Electorum suffragia auferrentur. Deinde Catholicis Electoribus, Archiepiscopis, Episcopis & principibus, eandem Catholicam religionem commendarem, ut sedulo prouiderent, ne quid illa detrimenti caperet. Præterea communes amicos subornarem, qui Evangelicis Electoribus & Principibus persuaderent, non agi de religione, potuisse quidem Trucesium ad Evangelicos se aggregare, absque ullo impedimento, modo uxorem non duxisset: In eo uno grauius illum peccasse, quando quidem ea res non tam Catholicis quam Evangelicis Principibus maximum damnum allatura esse videretur: cum familias illorum interire necesse esset, si omnes matrimonia celebrarent: nec suppeterent Ecclesiasticæ dignitates, ad quas liberi, qui non in parentum locum succederent, eueherentur. His quoque in aurem insurrarent, metuendum esse magnopere, ne Coloniensis Augustinæ confessionis doctrinam ostentaret, & tamen perniciosæ, & execrabili, & detestabili Calviniorum sectæ adhæresceret: & quia illi non minore odio, quam Catholici, tam impiam doctrinam prosequerentur: oportere sanè ut coniunctis viribus in communem hostem impressionem facerent. Ita illi, qui maioribus opibus instructi essent, facile ad nostras partes transirent: vel si nostram causam tueri non vellent, saltem eam non oppugnant: quod ad victoriam assequendam satis esse arbitraremur. Hæc omnia etiam apud ceteros ordines locum haberent. Quod si tam diuersis rationibus assequeremur, ut Evangelici Electores & Principes quiescerent: quiescerent ceteri ordines, nonnulli etiam se cum Catholicis consociarent: procliuè nobis foret initio dirum illum Gebhardum deicere: deinde Evangelicos Electores & Principes inter se committere: denique paulatim singulis captis, vniuersos opprimere.

Posteaquam Evangelici tot diuersis modis e medio sublatis essent, restarent non nisi Catholici, quos tot ponderibus urgeremus, tot vinculis constringeremus, tot compedibus deuinciremus, ut nec ipsi intelligerent, quemadmodum sibi ista euenissent, nec ullam amplius libertatis assequendæ cogitationem susciperent: demum res ipsa maturitatē afferret, ut religionis nomine, in tota Christiana republica dominarem, & regum odia rursus accenderemus: ut, quod plus dissensionum, atque bellorum esset, eo magis nostrum regnum floreret: Et sanè Germaniam ex animi sententia gubernaremus: Imperatores crearem, & quando placeret loco moueremus:

Archiepisco-

COMMENTATIO.

Archiepiscopos, Episcopos cæterosque ordines Ecclesiasticos, & prophanos non minus lautè acciperemus, decimas exigeremus, beneficiorum mercaturam stabiliremus: regressum concederemus nō tantum pallio, sed & mitræ, & vittis & singulis ornamentis Episcoporum tributū imponeremus: ex thesauro Ecclesiæ omne genus mercium, & indulgentiarū depromeremus: singula dispensaremus: carnis, butyri, ouorum vectigalia duplicaremus: populū superstitione duceremus: vniuersos pecunia emungeremus, ageremus, rapere, degluberemus, rueremus, sterneremus, & quacunque ratione fieri posset, nostram illam priscam monarchiam conseruaremus. Illud autem palmarij loco in his omnibus actionibus à nobis duceretur, quòd Euangelicorum fauore, & studio, Euangelicos: Imperatoris opera, illorum Imperatorem opprimeremus: & demum nec non alios infimos Catholicos, qui in hanc rem vnà incubuissent, in nostras plagas conijceremus.

Sed fortassis ludere videbor, quòd vt Pontifex, tam magnificè loquar. At certè non ludo. Nam hæc quæ à me commemorata sunt, adeò præclarè à Pontifice administrantur, vt nihil dictum sit, in quo perficiendo non strenuè ab illo indies laboretur. Neque verò ista audiuius aut legimus, aut ex aliorum commētarijs descripsimus, sed experti sumus plurimū, & corā obseruauimus: quomodo autem contrā Euangelici se parent, hoc loco dici non est necesse: ne longius à scopo discedere videar: neque est meum referre. Illa, antè quæ diximus, eò spectant, vt Pontifex priscam suam amplitudinē recuperet, quod fieri nō posse intelligit, nisi Germani in extremam seruitutem prius adducantur. Interea quidem Catholica religionis pulcherrimam quandam oculis nostris faciem ostendit: sed non de Catholica religione, verū de sua potentia sollicitus, omnes neros intendit, vt quæ tanquam Vulpes acquisiuit, tanquam Leo retineat. Nam quæ ficta specie sanctitatis occupauit, armis cupit defendere: malletque totam Germaniam incendio conflagrare, quàm tantillum de suo iure tam malè parto decedere. Ita ex Apostolico reti arma nascuntur. Quod credo voluisse nonnullos sacerdotes Romæ occultè quibusdam signis ostendere, cū cæteris Ecclesiæ solennitatibus etiam huius rei cæremoniam adiungerent. Nam quotannis in Laterano solenni festo, testudine quæ propè aram est, in qua diui Petri, & Pauli sanctissimorum Apostolorum reliquiæ populo monstrari solent, rete ex lino tenuissimo affabrè contextum suspen-

DE CAUSA COLONIENSI

ditur, quod ubi accensum est flamma exorta, statim cernuntur fuf-
gura, audiuntur tonitrua, fulmina, non aliter atque si prælum com-
mitteretur. Hæc autem omnia prorumpunt ex ferreo instrumen-
to cannis distincto, quod reti isto lineo obducebatur. Quid potuit
ad pontificum instituta declaranda fieri illustrius? qui paulatim si-
mulatione pietatis in animos Imperatorum, Regum atque Princi-
pum influxerunt, ut eos in ordinem redigerent, & his quasi retibus
vniuersas prouincias occuparent. Posteaquam verò nonnulli do-
lum cœperunt agnoscere, & se in libertatem vindicare, non ampli-
us insidiosis illis retibus suis nituntur, sed arma expediunt, quæ ijs
occultata fuerunt, & tonitrua, & fulmina, & cædem, & incendia ex-
citant, & vastitatem moliantur, ut rursus imperij arcem inuadant.
Quare etiam in Italia, & quidem in ipsa vrbe Roma minimè desunt,
qui id ipsum, quod apertè non audent dicere: tamen nonnunquam
recte huiusmodi signis indicant: & nostri in Germania boni Catho-
lici nihil mali suspicantur, & priscae religionis amore, atque studio
omnia fieri existimant: cum interim Monarchiæ causa naturæ prin-
cipia conuellantur: Christianæ doctrinæ fundamenta conquassentur:
Germanorum pacis decreta violentur: Imperatoris, Electo-
rum & Principum, & omnium ordinum, & amplitudinis ornamen-
ta & incolumitatis præsidia sustollantur, Quis autem non his ma-
ximis damnis atque detrimentis, quæ ad omnium nostrum perni-
tiam tendunt, in primis commoueretur? præsertim cum ex altera
parte omnia fausta & felicia nobis portendantur. Etenim Archie-
piscopus id vnum laborat, ne præter Imperatorem vllum alium su-
preum magistratum agnoscat: & is non modò ciuiles, verumetiam
Ecclesiasticos Principes subiectos habeat, & recuperet facultatem
conferendorum beneficiorum, quibus & de ipso, & de toto Imperio
benè meriti remuneretur, & vniuersas Germaniæ vires iam pridem
dispersas, arctissimo vinculo inter se cōiungat, & communi animo-
rum consensione ea agat, quibus Imperij decus indies magis atque
magis amplificetur.

Vult igitur Archiepiscopus, ut Imperator & re, & nomine, Im-
perator existat: & ut neruos habeat, quibus pro defensione Imperij
utatur: Et hæc nullius momenti esse existimabimus: & tanta præsi-
dia atque ornamenta Imperij negligemus? Quid à vera Reipubl.
forma alienius est, quàm Germaniæ maximam partem quæ est Ec-
clesiasticorum Principum Romano Pontifici obligatam esse, ut ni-
hil age-

hil age-

COMMENTATIO.

hūlagere possit, nisi quod huic gratum esse intellexerit? an non ista disunctione simul totius Reipublicæ vires maximè debilitantur? Si monstri simile est, duo capita vnius corporis existere: quis non eum amandum, amplectendum & exosculandum esse putabit, qui ad illius Reipublicæ statum in quo vnum caput præsit, suo exemplo viam munierit? Quid verò magis necessarium, quàm vt sint præmia, quibus fortissimi viri grauissimis laboribus exantlatis tandem recreentur? Quondam Imperatores cum Pontificibus bellagerebant, vt illa beneficentiæ instrumenta, præter fas sibi ablata recuperarent, iam ne is, qui modò rerum habenas moderatur pugnabit, ne eam facultatem accipiat? Quod si Archiepiscopi Colonienſis vestigijs cæteri quoque Episcopi insistent, omne beneficiorum ius sua sponte ad caput redibit, & Pontificius mensis mirifica quadam conuersione, & sanè diuinitus in Cæsareum mensem commutabitur.

Habet Rex Hispaniarum in Ecclesiasticis præfecturis amplissimam facultatem, & Galliæ Rex non minore iure vtitur, & Poloniæ quoque Regi non desunt præmia, quæ in suos conferat, solum Imperatorem Pontifex impediuit, ne hac ratione liberalitatis vires suas cōstabiliret. Quod itaq; Pontifex ademit, si Archiepiscopus restituat, & suo exemplo inuitet cæteros, vt idem faciant, num ex cuiusquam hominis actione maior vnquā & vberior fructus redundabit? Equidem his seminibus iactis deinceps pedetentim alia emolumenta, quæ ijs abdita sunt, efflorescēt: vt Germania cōmune consilium, publicum ærarium, & perpetuum exercitum assequatur. Quæ sanè tria hætenus perfecta minimè extiterunt. Non enim commune consilium esse potest, vbi duo supremi magistratus existūt, & vterq; diuersum finem sibi propositum habeat. Nam Imperatoris officium est Germaniæ libertatem tueri, & Imperij dignitatem amplificare: Pōtifex suum officium esse putat Germanos in seruitutem adducere, & Imperij amplitudinem labefactare. Cum itaque non minus Pōtifici quàm Imperatori Ecclesiastici Principes deuincti sint, & in omnibus Comitiorū deliberationibus multi ad Pontificis voluntatem sententias suas aggregent, quis nō ex eo æstimabit, quàm in hoc rerum statu nulla communis consilij ratio possit existere? Sin autem vnus magistratus fuerit, nec ad alium ciuiles Principes cogitationes suas referant, & vnà cum Imperatore amplissimus Senatus certatim contendat, non vt priuatæ familiæ dignitatem, sed vt

DE CAUSA COLONIENSI

Germanici Imperij maiestatem augeant, ibi me hercule communis consilij lumen undique apparebit. Quod ut antehac Pontifex impediuit, ita quoque fecit, ne publici ærarij certa ratio haberetur. Nam quæ huc inferri oportebat, Romam asportabantur, ex quo postea alia incommoda nata sunt, ut licet priuatim multorum maxime opes essent, publici tamen ærarij vtilitatem, quam veteres Romani percipiebant, planè ignoraremus.

Si verò Archiepiscopi Coloniensis instituta rectè accommodentur, & omnis ista pecunia, quæ ad urbem mitti solebat, ad publicum ærarium deferatur, non quidem in eo adhuc omnis neruorum facultas inerit: sed tamen hæc initia viam aperient, & ad publici ærarij verum modum propius accedemus, cuius fructus præstantissimus est, alere perpetuum exercitum, qui non solum Germaniæ fines tueri, sed omnibus regnis, & prouincijs Christianæ Reip. contra externorum hostium impressiones, præsidium afferre possit, quæ neglecta sunt, dum publicè otiosam vitam amamus, & sanctissimi Pontificis bonis dictis nos satis tutos esse arbitramur. Idcirco licet Germania viris, equis, armis, instructissima sit, & gens nostra priuatim militarem disciplinam maximè colat: tamen hæc virtus nimium distracta est, ut nunquam fermè Germanicæ robur coagmentetur, & rarò iustus exercitus conscribatur, qui non paucis mēsis dissipari soleat, cum interim Romani suas legiones perpetuò sustentarent, & quantò plus in eam rem impenderent, tantò magis pecunia abundarent. In quo nos quoque in posterum magis fortunati erimus, modò, quò nos & fata trahunt, & Archiepiscopi Coloniensis instituta vocant, eò alacri animo sequamur. Nam ut duorum capitum, & quidem inæqualium turbulētissimus status, omnium nostrarum calamitatum fons est: ita in vnius supremi Magistratus, cum amplissimo Germaniæ Senatu coniunctione, nostræ felicitatis principium consistit: cum commune consilium, ex communi cōsilio, publicum ærarium ex publico ærario exercitus exoriat: cuius ea natura est, ut si quis rectè uti nouerit, non tam ab ærario exercitus alatur, quàm ab exercitu ærarium locupletetur.

Hinc adeò rerum maior amplitudo exoritur, quàm ut eam verbis possim assequi. Neque tamen me latet, quam in multorum sermone incuriam ea afferant, quæ ab aliorum sententia non parum discrepare videntur: cum sint certi homines adeò angusto, atque humili animo, ut omniū rerum spem penitus abiecerint, hi nobis exitum præ-

COMMENTATIO.

um prædicunt, Reipub. interitum vaticinantur, famem, pestem, bellam in ore habent, barbarorum incursiones, Turcicum iugum denunciant, etiam ea quæ de fatalibus Imperiorum conuersionibus, à prudentissimis viris memoriæ prodita sunt, huc pertinere arbitrantur. Nam cum tot annos Germani Imperiū habuerint, oportere aiunt, vt cursu cōfecto, illius occasus insequatur. Hæc & alia satis cōfidenter: sed tamen ignoscent, si non adeò proclines sumus, vt ijs statim assentiamur. Etsi enim fortassis non reprehendendum est, quòd tot mala ob oculos ponāt, vt mortales à vitijs deterriti pietatem atque virtutem ardentiore studio colant: tamen hoc tempestiuè fieri æquum est, ne fortes viri desperatione rerum fracti, & debilitati languent, & cū opus fuerit pro patriæ dignitatē atque incolumitate minus strenuè pugnent.

Quantum enim in vtranque partem ista valeant, priscis monumentis abundè declaratur. Quod verò ad Imperiorum certos & determinatos fines attinet, de ijs rectè veteres disseruerunt: at hi nō rectè ista nostris temporibus accommodant. Non enim huiusmodi ratio est imperij Germanici vt illius orbem conuersum esse meritò existimemus. Nam licet nostri homines multa fortiter omnibus temporibus gesserint: militarem disciplinam maximè exercuerint: nō solum foris in Italia, Gallia, Hispania, sed & in Græcia, Asia, Syria arma circumtulerint: vbique virtutis suæ admirationem excitarint: hostibus terrorem incusserint: tamen hæc diuersis temporibus, à diuersis ducibus ita gesta sunt, vt semper quidem Germanorum laus, in pluribus heroibus floreret, rarò autem vniuersi corporis virtus conspiceretur. Etenim vt vetustiora omittam, nostri Cæsares, qui diuersis prouincijs præfuerunt, non adeò stabilem Reipublicæ formam posteris reliquerunt, quin filij plerunque regnorum diuisione vires imminuerent, & Pontificibus occasionem præberent, vt acquisita indies maiore potentia Germanos impedirent, ne suo Imperio etiam exteras nationes complecterentur.

Quare licet in Christiana Republica Germani præ ceteris flourerint, & Imperij nomen virtute sua acquisuerint: tamen ea vis superstitutionis fuit, vt illa Pontifex innixus nostros homines suis finibus contineret, & sibi in omnes regnum constitueret. Posteaquam verò superstitutionis vanitas patefacta est, tyrannidis quoque ædificium, quod ista superstitione fulciebatur, sua mole ruere cœpit. Quæcunque igitur de Imperiorum definitis terminis nōnulli disputant,

DE CAUSA COLONIENSI

ad certum Pontificatum referimus. Huius enim exitus appropinquat, nec fieri potest, quin paucis annis princeps datus maximo fragore collabatur. Et licet se rursus conetur erigere, & quandam etiam huius rei speciem ostendat: tamen id non aliter facit, atque lumen quod priusquam extinguitur, maiorem quam antea splendorem emittit. Quamobrem iam primum Germania ad veram imperij formam accedet, ut multis monumentis veteres consignerunt. Non enim potest interire Pontificia tyrannis, quin Germanorum decus mox efflorescat, & quicquid dignitatis in vniuersa Christiana Republica Pontifices & Cardinales habuerunt, id ad Imperatorem, & ad amplissimum Imperij Senatum transferatur. Non frustra Deus huic genti pulueris tormentarii usum ostendit, non frustra librorum excudendorum rationem patefecit. Certè & robur illis esse voluit, & cum robore coniungi prudentiam, ne in posterum ferarum more imperia quodam ruerent, sed intelligerent, non solum quemadmodum rectè pugnando terræ occuparentur, verum etiam iuris æquabilitate, humanitate & mansuetudine retinerentur. Non etiam frustra excitauit magnos viros, qui superstitionum claustra rumperent. Etenim ianuam ipsam aperire voluit, qua ad summum Imperij fastigium ingrederemur. Quæ omnia eò pertinent, non ut spem abiciamus, sed ut in dignitate Reipub. constituenda omnem curam, operam, studium atq; industriam ponendam esse existimemus. Quare Principes nostros magno animo esse decet, & nihil quod humile & abiectum sit, cogitare: verum ea meditari, quæ ad tanti Imperij magnitudinem accommodata esse videantur.

Neq; verò hoc illi alijs rebus posthabebunt, cum nondum omnia ita prostrata sint, ut prisca illa virtus nō adhuc in Germanorum pectoribus vigeat. Vestrum saltem erit, o Catholici Episcopi statuere, quid pro defensione communis libertatis aduersus insidias externi sacerdotis agere velitis. Non ego vos cohortabor plurimis, dixi, quæ ad æquitatem huius causæ, quæ ad incommoda, quæ ad emolumenta pertinerent. An non æquitas rei vos mouebit? an non calamitates maximæ excitabunt, quæ in Germaniam redundaturæ sunt, si Pontifex id, quod molitur, ad optatum exitum perducet? an non inflammabit vos imperij maiestas, quam inprimis augeri necesse est, si omnes Trucesij vestigia secuti nullum in Germania quicquam iuris in vos habere, præter Imperatorem, nullum externum sacerdotem vobis superiorem esse agnoscatis.

Quod

COMMENTATIO.

Quod si inanis superstitio, & turpis quæstus, & otij cupiditas, & ignavia plena securitas retardabit, quò minus id quod optimum est possitis eligere, quod de talibus viris minimè suspicari debeo. Sed tamen si quid tale cōtingat, nōne æquum est, vt sint, qui nobilitati Germaniæ consulant, ne equites nostri globulis, & rosarijs, & agnis DEL, & breuiarijs potius suffarcinati incedant, & bonas horas malè collocent, quàm vt militarem disciplinā, à qua omnis nobilitas orta est, colant, & patriæ salutē tueantur. Nam si Germaniæ Episcopatus in publicum ærarium referrent, vt exercitus perpetuus aduersus externos hostes tantò commodius ali posset, an non hæc omnia ad nobilitatis ornamenta pertinerent, cū & ijs amplissima præmia fortiter pugnantibus decerni possent, & cæteris etiam consuli, qui armis tranctandis occupati, ad equestris ordinis dignitatem sua virtute proximè accederēt. Manerent tamen præposituræ, manerēt Canonici, manerent monasteria, & reliqua Ecclesiastica bona, quæ optimarum artium studijs consecrari possent, ita & literis & armis: & Mineræ, & Marti sua præmia forent: quibus duabus rebus omnium Imperiorum dignitas non solum consistit, verumetiam maximè amplificatur.

Sed non est meum excitare vos oratione mea, ne aut prudentiæ vestræ, aut integritati, aut amoris erga patriam diffidere videar, quid rectum & æquum sit, quid Pontifex ad communem Germaniæ perniciem moliatur, quid patriæ incolumitas & salus, fatis ipsis urgentibus postulet, videtis, agite itaque ut lubet. Nam si communem Germaniæ causam aduersus Pontificum Romanorum immunitatem defendendam susceperitis, vobis in primis consulētis, sin minus, saltem æquo animo vos ferre oportebit, vt existant alij, qui Germanici Imperij decus, & amplitudinem minimè negligendam esse arbitrentur.